



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis
Disciplinis & religione Christiana**

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

6. Qualiter poenitere debeant homicidæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

80. Si aliquis propter cupiditatem Judæum
aut paganum interficerit.

81. Si aliquis insaniens aliquem hominem
occiderit.

82. Si quis arborem inciderit , & dum operi
necessario infisit , aliquis subitus arborem de-
veniens improvisè opprimitur.

83. Si quis conjurations & conspirationes
sestatur.

84. Si quis Ecclesiam aut Clericum fatigare
præsumit.

85. Inquirendum de refugis & perfidis laicis.

86. Percunctandum de confratribus & frater-
nitatum societatibus qualiter in parrœchia
agantur.

87. Sic antica turpia & risum moventia ali-
quis circa Ecclesiam cantare præsumit.

88. Si aliquis in Ecclesiam intrans , fabulis
vacare consuevit , & non diligenter auscultat
divina eloquia , & si antequam Missa finiatur ,
de Ecclesia exit.

89. Si oblationem, id est, panem & vinum,
viri & feminæ ad Missas offerunt; & si non vi-
ti , conjuges pro illis offerent , pro se suisque
omnibus , ut in Canone continetur.

Capitula hæc quæ per ordinem adnotavimus,
canonicis oportet roborari decretis.

De pœnitentia homicidarum. *Ex Concilio
Triburienſi.*

V I. Ut pœnitentia super homicidiis non di-
verso more , ut priùs , sed in episcopiis singulis
uno more agatur.

Unde suprà.

Burchard. lib.
l.c. i.

Si quis spontanea voluntate , diabolo suadente , homicidium perpetraverit , juxta canonum sanctiones & iudicium Episcoporum talem pœnitentiam accipere debet.

In primis ut licentiam non habeat Ecclesiam intrandi illos proximos quadraginta dies , nudis pedibus incedat , & nullo vehiculo utatur , in laneis vestibus sit absque femoralibus , arma non ferat , & nihil sumat his quadraginta diebus nisi tantum panem & salem , & puram bibat aquam , & nullam communionem cum ceteris Christianis neque cum alio pœnitente habeat in cibo & potu antequam quadraginta dies adimpleantur ; & ex cibo quem sumit nullus aliis manducet. Considerata vero personæ qualitate vel infirmitate , de pomis vel oleribus seu leguminibus , prout visum fuerit , aliquid pro misericordia indulgeatur , maximè si quis coactus & non sponte homicidium fecerit. Et ei omnimodis ex canonica auctoritate interdicatur ut in his diebus cum nulla femina misceatur , nec ad propriam uxorem accedat , nec cum aliquo homine dormiat , juxta Ecclesiam sit , ante cujus januas peccata sua defleat diebus & noctibus ; & non de loco ad locum perget , sed in uno loco his quadraginta diebus sit. Et si fortè habuerit insidiatores vitæ suæ , interim differatur ei pœnitentia donec ab Episcopo pax ei ab inimicis reddatur. Et si infirmitate detentus fuerit , ita ut non possit dignè pœnitere , differatur pœnitentia donec sanitati restituatur. Si autem longa

ægritudine detentus fuerit, ad sententiam Episcopi pertinebit quomodo reum & infirmum sanare disponat. Completis quadraginta diebus, aqua lotus, vestimenta & calcamenta, quæ à se abjecerat, rursus sumat, & capillum incidat.

Quid in primo anno observare debeat.

VII. In primo anno post quadraginta dies Burchard. lib.
6. c. 1. totum illum annum à vino, medone, & melitta cervisia, à carne & caseo & pinguibus piscibus abstineat, nisi festis diebus qui in illo episcopio à cuncto populo celebrantur, & nisi forte in magno itinere, vel in hoste, vel diu ad dominicam curtem vel infirmitate detentus sit. Tunc liceat uno denario, vel pretio unius denarij, aut tres pauperes pascendo, tertiam feriam, quintam feriam, & sabbatum redime, ita duntaxat ut una re de tribus utatur. Postquam domum venerit, aut sanitati fuerit restitutus, nullam licentiam habeat redimenti.

Quid in aliis duobus annis observare debet.

VIII. Completo anni circulo, Ecclesiam Burchard. lib.
6. c. 3. 4. ingrediatur, & pacis osculum concedatur. In secundo & tertio anno similiter jejunet; nisi quod tertiam feriam, quintam, & sabbatum potestatem habeat redimendi, ubique est. Cetera diligenter omnia observet ut in primo anno.

* * *